



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Quæst. II. Quæritur, an in Corpore Juris Canonici mentio fiat de Exemptiis
nullius Diœceseos, an saltem de iis sermonem faciat Concilium
Tridentinum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Jurisdictione careat, cum illam etiam per Præventionem exercere nequeat.

Respondetur, totam alicujus Loci Jurisdictionem Spiritualem præscribi non posse, quin præscribatur Territorii pars, in quo existit, ita ut illam ex Præventionem exercendi facultas non remaneat penes illum, ad quem antea pertinebat, alioquin in eodem Loco Duo Capita forent nequaquam sibi Subordinata: Partem verò Jurisdictionis posse præscribi, Territorii parte non præscripta; non enim repugnat certam Jurisdictionis partem ab uno possideri, aliam verò ab alio, cum in eodem Districtu diversæ Personæ circa diversas res Jurisdictione potiantur; præterea id clarè demonstrant. C. 15. & 18. *De Præscript.* in quibus Jurisdictionis pars Jure Communi adjudicatur Episcopo, Præscriptionis autem Jure alia pars Abbati tribuitur in eodem Territorio.

QUÆSTIO II.

Queritur, An in Corpore Juris Canonici mentio fiat de Exemptis nullius Diocæsis, an saltem de iis sermonem faciat Concilium Tridentinum?

Ad Primum Respondetur, de hujusmodi Exemptis ne verbum quidem haberi in toto Juris Corpore.

Ad Secundum Respondetur, CONCILIIUM TRIDENTINUM loqui de Exemptis nullius Diocæsis, C. 10. Sess. XXIII. C. 2. Sess. V. *De Ref. S. id verò*, in quo de Monasteriis, quæ, etsi intra Diocæsim sint, nullius esse Diocæsis non desinunt, quia non à Jurisdictione solum, sed à Situ libera sunt; & §. *Si qua verò*, in quo Concilium loquitur de Monasteriis nullius Diocæsis existentibus, quia revera intra nullam sita sunt.

Circà quod notandum, Locorum nullius Diocæsis duplex genus esse; Aliud nempe illorum, quæ ad nullam unquam Diocæsim pertinere, qualia, quæ à Paganis aliisque Inhæditibus possessa, ad Fidem à Monachis Episcopo nulli Subditis conversa, iisque relicta, vel nonnulla Insulæ Monachis eadem similivè de causâ concessa: qualia etiam, quæ extrâ Fines cujusvis Diocæsis in Episcopatum erectione relicta, vel in Confinibus alicujus sita, Exemptione extrâ Fines constituta sunt. Aliud Locorum nullius Diocæsis genus est, illorum, quæ intrâ alicujus Diocæsis, vel initio vel successu temporis comprehensa ita ab Episcopo exemit Papa, ut etiam inter ipsius Diocæseos Membra recenserentur noluerit dicique ad illam pertinere.

QUÆSTIO III.

Queritur, an in Jure de Exemptis, qui Jurisdictionem habeant Episcopalem, vel saltem in CONCILIO TRIDENTINO sermo fiat?

Ad Primum Respondetur, Textus omnes, qui loquuntur de Monasteriis vel Abbatibus, quæ Jura Episcopalia, vel omnia, vel illorum partem, præscriperant, de Exemptis, qui Jurisdictionem Episcopalem vel in toto, vel in parte habent, mentionem facere; Tales autem C. 15. 18. *De Præscript.* C. 3. *De in integrum Restitut.*

Idem dicendum de Textibus, qui loquuntur de Regularibus Ecclesiis pleno jure Possidentibus; Tales sunt C. 13. *de Sent. & Re Jud.* C. 31. *De Prab.* C. 3. *De Privil.* §. 2. C. 3. *De Privileg. in VI.* quod in §. *nec eis licitum.* de Abbatibus.

Ad Secundum Respondetur, CONCILIIUM TRIDENTINUM C. 11. Sess. XXV. de Regularibus, expressè loqui de Abbatibus ac aliis Superioribus Regularibus, qui Jurisdictionem Episcopalem habent.

QUÆSTIO IV.

Queritur, An Exemptio, quæ Quis immediatè Sedi Apostolicæ subest, memoretur in Jure & in CONCILIO TRIDENTINO?

Respondetur 1. Apud GRATIANUM memorari duobus locis, nempe C. 52. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo primùm eximit PELAGIUS, deindè GREGORIUS Episcopum à Jurisdictione sui Metropolitanæ, illumque Papæ immediatè subjiciunt; & C. 18. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo Exemptionem hujusmodi in Abbatibus damnare videtur PASCHALIS II. dum ait, *Abbatibus, qui neque sub Episcopo, neque sub Metropolitanæ, neque sub Primatè, neque sub Patriarchâ sunt, nullus prorsus Episcoporum Episcopalia administret.* Cum enim se nulli Episcopo omnino subesse profiteantur, consequens est, ut nullus

Tom. I.

Episcoporum, quæ sua sunt, eis tanquam Extraneis largiantur. Sed verisimiliter loquitur de Exemptione usurparatâ.

2. Apud GREGORIUM IX. iterùm atque iterùm de Exemptione hujusmodi fieri mentionem, hujusque rei testes esse. C. 4. *De Confirm. utili* C. 2. *De Capel. Monachorum.* C. 8. 12. 13. 16. 17. *De Privil.* C. 7. 8. *De Statu Monach.* C. 7. *De Consuet.* C. 5. *De Arbitris.*

3. Apud BONIFACIUM C. 4. 10. *De Privil.* ex quorum priore colligi posse videtur, Exemptorum nomine intelligi, qui ab Ordinarij Jurisdictione liberi Summo Pontifici immediatè subeunt, cum ibidem ALEXANDER IV. hujusmodi Exemptos simpliciter Exemptos vocet, dum ait: *Exempti autem sine Nostrâ Licentiâ Oratoria non constituant.*

4. Apud CLEMENTEM V. *Clem. 2. De Statu Monachor.* ex quâ inferre licet, Exemptarum Monialium duplex fuisse genus, nempe alias, quæ Sedi Apostolicæ immediatè suberant; alias verò, quæ nec Papæ, nec Ordinario proximè subjiciebantur, sed vel Archiepiscopo, vel Primati vel Regularibus ejusdem Ordinis.

Posterioris Monialium generis plura præbet exempla Gallia, cum Carmelitana, Calvariana, Benedictinæ nonnulla, nec Papæ, nec Ordinario, sed aliis Superioribus tam Secularibus, quam Regularibus, quos sibi eligunt, proximè subeunt. In EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS C. 1. *De Privileg.* C. 9. *De Prab.*

QUÆSTIO V.

Queritur, An, & in Quo differat Monialium Exemptio à Monachorum Exemptione?

Respondetur, in nonnullis certè differre, eaque esse non alia, quam ista. 1. Quæcunque Monialium Monasteria Sedi Apostolicæ immediatè Subjecta visitari ab Ordinario possunt, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato. *Clem. 2. De Statu Monach.* 2. Eadem Monasteria ab Episcopo tanquam ejusdem Sedis Delegato gubernanda esse, constituitur. C. 9. Sess. XXV. *De Regular.* 3. Circà Monialium Exemptarum Clausuram Episcopo facultas datur, illam restituendi, ubi violata est, conservandi, ubi inviolata est, Inobedientes & Contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas compescendi, eaque omnia Apostolicâ autoritate faciendi. 4. Nullum Monialium Monasterium Romæ Situm, Titulo cujusvis Cardinalis subest C. 2. *De Capel. Monachor.* Ex his autem Articulis ergà Monachos nullus locum habet.

Articulus alius extat, in quo Moniales Exemptæ à Monachis itidem Exemptis differre videntur, nempe in eo, quòd Moniales sint, quæ nec Papæ, nec Ordinario immediatè subeunt, sed aliis; at in hoc non differunt cum C. 7. *de Statu Monach.* mentionem faciat de Monachis, qui per Visitatores à Capitulis Generalibus Deputatos gubernantur, corrigunturque.

Aliud quoque videtur esse discrimen inter Moniales Exemptas & Monachos Exemptos, in eo scilicet, quòd illarum Monasteria, cum non dependant alia ab aliis, peculiari Singula egent Exemptione. Monasteriis verò Monachorum ob contrariam rationem Generalis Exemptio sufficiat: at falsum, utrosque inter hoc esse discrimen, cum de Monasteriis Monachorum, quæ ab aliis alia invicem non dependent mentio fiat in C. 7. *de Statu Monachor.* præterea, ut Generalis Exemptio Monasteriis sufficiat, non requiritur, ut alia aliis subeunt, sed satis, ut ejusdem sint Ordinis, vel Congregationis.

Notandum circà Clausuram, quòd Jure Communi Moniales semper Subjectæ fuerunt Episcopo, saltem ut Sedis Apostolicæ Delegato, nec ullum extat peculiare cuiquam illarum Congregationi, vel Monasterio Privilegium in Corpore Juris clausum; cum in toto Juris Corpore, junctoque Concilio Tridentino, duo sint Textus tantum, qui de Clausurâ loquantur, nempe *Caput Unicum, de Statu Regul. in VI.* & C. 5. Sess. XXV. *de Regular.* In utroque autem, Episcopo quoad Clausuram subjiciuntur Moniales, aut ut Ordinario, aut ut Sedi Apostolicæ Delegato.

QUÆSTIO VI.

Queritur, An Prælati, cui Exemptus immediatè subicitur, quam haberet Ordinarius, in illum habeat Jurisdictionem?